



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

Mendicantibus concessa per Pium V. in fine Manualis. ibidem.

(*C A M B I V M.*

CAMBIVM est commutatio unius rei pro alia, & diuiditur in siccum & realem. cap. 17. num. 283. lit. B. in Nouo num. 286.

Cambiorum genera sunt septem. I. Ratione officij mutuandi. II. Per minutum. III. Per literas. IIII. Per translationem realem. V. Propter interesse. VI. Pro custodia. VII. Per commutationem pecuniæ præsentis pro absente. ibidem.

B Ars campforia licita est, si ordinatur in finem honestum. num. 283. lit. C. No. n. 287.

In nullo cambio, vbi pecunia datur pro pecunia, potest accipi aliquid vltra iustum valorem pecuniæ datæ ratione cambiij, quatenus est permutatio, nisi adiungatur alia iusta causa. Vnde qui dat vnam pecuniam pro alia maiori, post vnum vel plures menses reddendam, vsuram committit. Ibidem.

C Cambiorum autem primum genus, (hoc est, cambium ratione officij) licitum est. ibidem. lit. C. & in No. num. 288.

Item cambium secundi generis per minutum licitum est. Per minutum verò illud

est, quo quis cambit presentem pecuniam pro presenti, nempe minoris valoris pro pecunia maioris, vel è contra, dummodo sit ex officio à Republica instituto. Imò etiam priuatis licet aliquid accipere, minus tamen, quàm campfori assignatur. Nec hoc est vetitum legibus Hispaniæ, quæ prohibent, nequis officium campforis auctoritate propria sumat. *ibidem. num. 283. lit. C. D. in No. 288.*

Qui habet monetam, quæ ratione materiæ, vel alicuius singularis interesse plus valet, saltem sibi, quàm per legem æstimatur, potest illam permutare pro alia, recepto illo pluri. *Ibid. D.*

Tertium item genus Cambij per literas est iustum, & fieri potest non solum per literas, sed etiam per nūcium, & ipsum Campforem. *Ibid. lit. E. Nouo. 289.*

Verùm ad iustitiam huius tertij Cambij requiritur, Primùm, vt campfor non accipiat maius lucrum, ex eo quòd tardiùs fit accipienda pecunia virtute litterarum, vel ex eo quòd à principio non traditur ei pecunia; nec etiam accipiat minus ex eo quòd tota pecunia statim soluitur. Possunt tamen excusari ratione veri interesse. *nu. 283. lit. E. & in Nou. num. 289.*

Secundò requiritur, quòd campfor qui dat pecunias, alibi soluèdas sciat, vel credat probabiliter

habilitate personam, cui eas dat habere pecunias vel fidem, & voluntatem satisfaciendi litteris, quas de soluendis illis tradit sibi. lit. E. M. & in Nou. num. 289. & 297. Nec sufficit, quod ignoret eam habere, vel non habere. lit. E. dicto 4. Nou. num. 290.

¶ **U**rsura est si tradat huiusmodi pecunias cum pacto, quod si non solvantur intra tres menses ibi ab eis, ad quos remittitur solutio, solvantur intra sex menses Romæ cum lucro cambij, quod ibi erat soluendum, & lucro recambij soluendo Romæ. Ibidem.

Tertio requiritur, ut locus in quo est soluenda pecunia longè distet, aliàs esset cambium de tempore ad tempus: quod tamen iniustum est. Stando autem in solo iure naturali, & diuino tam iustum est cambiū per litteras de ciuitate vnus regni ad aliā eiusdem; sicut ad aliam alterius regni. Ibidem. prohibetur tamen in quibusdam regnis ad tollendas vsuras paliatas: quod tamen cessante fraude non ligaret; dūmodo tanto minus lucri acciperet campfor, quanto minus interuallum esset inter vtramque ciuitatem. Ibidem.

I Quartū Cambij genus scilicet per translationem realem, licitum est. ibid. lit. F. Nou. num. 291.

Quintum etiam cambium ratione interesse

esse damni emergentis vel lucri cessantis, dummodo re vera cessent. Nō potest tamen à principio certū interesse præfigi in Cambiis. c. 17. num. 283. lit. G. & in Nouo. nu. 292.

Sextum genus Cambij est etiam licitum, scilicet cambium pro pecuniarum custodia, idque non solum auctoritate publica, sed etiam priuata. *ibid.* lit. H. Nou. num. 293.

Atque in hoc genere quidem non solum potest recipere lucrum, quando reddit pecuniam in numerato, sed etiam quando reddit per chirographum. *ibidem.*

Deponentes verò pecuniam apud bācharium, non possunt recipere ab illo aliquid ultra sortem, eo quòd Bancharius lucretur pecunia deposita, nisi hoc fiat merè gratis, imò tenentur reddere banchario iustā mercedem, si obligatur reddere pecunias simul ac petuntur. *Ibidem.* H. Nouo. num. 293.

Licitum etiam est Septimū genus Cambij, quod fit per commutationem præsentis pecuniæ pro absente. *lit. I. Nou. 294.*

Pecunia siquidem præsens pluris valet ex se, quàm absens cæteris paribus, quia ex se requirit laborem, impensam, & periculum in traducendo. Vnde posset quis iustè emere C. ducatis præsentibus Metinæ, C. I. existentes Hispali. *lit. K. Nou. num. 295.*

Cambium illud, quo multi habentes pecuniam

cuniam numeratam, & nolentes vel non potentes vti arte mercandi, dant pecuniam in loca vnius regni, soluendam sibi in proximis nundinis cum aliquo lucro, non est iustum, nisi reducatur ad aliquam septem specierum, quas supra diximus. cap. 17. nu. 283. lit. M. in Nou. nu. 269. & 297.

- Extrauagās Pij V. de iustitia Cambiorum, quæ incipit, In eam pro nostro. &c. manuit anno 1571. cuius summa & breuis declaratio est quæ sequitur.

Vsura est lucrum illud, quod accipiunt campsores nomine cambij, vel recambij, à debitoribus, propter dilationem eis concessam, vsque ad proximas nundinas, nisi accipiant pro vero interesse. lit. M. & N. in Nouo. n. 300. 298. 299. & notab. 3. 301.

Non omnia cambia sicca damnantur à Pio V. sed solum illa quæ fiunt ficta, & simulata, quæ sola vocantur sicca in Extrauaganti. Cetera autem si sunt vera, inter realia computantur. Ibid. lit. N. notab. 1. Nou. num. 300. & 301.

- p Ad iustitiam Cambij sicci veri, & realis requiruntur conditiones supra posita hoc eod. titulo. lit. F. Quæ ex Extrauag. & ex notab. 2. auctoris colliguntur. num. 301.

Post hanc Extrauag. Pij V. non licet in materia Cambiorum conuenire à principio,

cipio, vel postea ante terminum solutionis, super certum ac determinatum lucrum: Verum est, quod in foro conscientiae erit licita si sit aequa. Ibidem. not. 4.

Erit etiam licitum in aliis materiis. Quoniam Pius V. solum loquitur in cambiis. Ibidem.

Cambia exerceri non possunt, nisi quoad **Q** proximas nundinas vel terminos, ad solvendum cambia praefigi consuetos. Quod limitandum est quantum ad effectum carius vendendi vel cambiendi ad secundas, vel tertias nundinas, quam ad proximas. cap. 17. n. 283. lit. N. No. num. 301. notab. 5.

Id quod vulgo dicitur, scuta & ducata, quibus campsores utuntur in nundinis cambiendo, esse maioris pretij, quam illa quibus utuntur in emendis rebus necessariis, & mercibus, non est sic intelligendum quod ipsi mercatores augeant vel minuunt pretium eorum: sed quod ducatus, vel scutum cum auctuario, quod solvendum est pro eo remittendo alio, vel aliunde remisso, pluris valet; & quod ipsi mercatores tamquam periti in arte arbitrantur quantum debeat esse illud auctuarium. not. 8.

Mutuantibus sub usuris Regibus ad id aliquo modo eos cogentibus, vix potest iustificari, per viam alicuius cambij liciti. cap. 17. in fine.

CANONICVS.

- A **CANONICI**, ac reliquæ dignitates, infra duos menses ab obrento Canonatu, seu dignitate, tenentur coram Episcopo, & etiam coram Capitulo profiteri fidem: alioqui non facient fructus suos. cap. 25. num. 136.
- B Nemo potest Canonatum obtinere, qui non sit initiatus aliquo ordine sacro, quem ille requirit; vel in ea ætate, vt tempore statuto initiari valeat. ibidem.
- C In cathedralibus omnes canonicatus habeant annexum ordinem presbyterij, diaconatus, vel subdiaconatus. ca. 25. num. 136.

CAPELLANVS.

TENETVR Capellanus dicere quas missas, vbi & quomodo sacellorum institutio, vel eorum promissio habet. cap. 25. num. 134.

CARCER.

PECCAT mort. qui fuit causa cõiciendi aliquem in carcerem iniuste, & tenetur restituere damnum. 15. n. 13. No. num. 12.
Qui iniuste soluit in carcerem iuste cõiectum

CASVS FORTVITVS. 99

iectum propter debita, tenetur restituere
damnū creditori, nisi esset ille debitor adeo
pauper, vt probabiliter, nec per se, nec per
alium soluere posset. tūc enim sicut ipse fu-
giendo non peccat, sic nec qui esset author
fugæ, nec tenetur restituere creditori. cap.
17. num. 101.

Incarceratus ob delictum dignum mor-
te, aut abscissione membri, sicut fugere po-
rest, etiam limando compedes, & rumpen-
do carcerem, dum tamen non iaserat vim
custodi carceris, vel alteri ministro iustitiæ.
num. 102.

CASTRATVS vide in tit. Irregulari-
tas. III. ob defectus corporis.

CASVS FORTVITVS.

REGVLARITER nemo tenetur de-
dāno, quod contingit casu fortuito, nisi
præcedente culpa, mora, vel pacto. cap. 17.
num. 179.

Aliquis euentus potest dici casus fortuitus,
respectu vnius, & non respectu alius. nu. 178.

Casus fortuitus nocet ei qui est in mora.
nu. 179. & 183.

Culpa præcedens casum fortuitū, non ef-
ficat, vt fortuita imputentur, nisi culpa diri-
gatur sufficienter in illa. c. 27. n. 220. No. 221.

CASVS RESERVATVS.

A **C**asvs Referuatus est, cuius absolutio adimitur inferiori Sacerdoti. additum, Nouo, cap. 27. num. 259.

Nullus casus est referuatus in articulo mortis. *ibid.* n. 254. No. nu. 260. Vide etiam tit. Articulus mortis.

B Nullus casus est referuatus Papæ, cui non sit annexa aliqua censura. num. 254. No. 261.

Casus referuatus Papæ post sublatam censuram manet non referuatus: nisi præter illam sit etiam referuatus Episcopo. Sed iam consuetudine introductum est, vt sublata censura Papali, cesset etiam referuatio Episcopalis. *Ibid.*

C De fide est Episcopum posse referuare sibi aliquos casus etiam in foro conscientie. additum in No. cap. 27. num. 260.

Episcopus concedendo casus sibi referuatos, non videtur concedere absolutionem à censuris sibi referuatis. cap. 27. num. 254. No. num. 261. §. 10.

Episcopus concedendo absolutionem à casibus, & censuris sibi referuatis, non videtur concedere dispensationem votorum, aut irregularitatum, à quibus ipse potest dispensare.

CASVS RESERVATVS. 101

fare. ibid. Episcopus concedendo alicui omnem suam facultatem & auctoritatem ad audiendam confessionem, non videtur concedere casus sibi referuatos iure communi, vel suo particulari, vel consuetudine generali, vel speciali: secus est quando concedit omnes suos casus: nam per suos casus intelliguntur peccata illi referuata: Secus etiam est quando cōcedit suam facultatem, excepto tali casu referuato. idem dicendum est, quoad forum conscientia, quando apparet intentionem Episcopi esse concedere casus sibi referuatos. ibid. dicto 7. & in Nouo num. 261.

Casus referuati Episcopo hi sunt. I. Peccatum clerici habentis annexam irregularitatem. II. Incendium domorum, frugum, vel aliarum rerum ex proposito factum. III. Peccatum ob quod est imponenda solennis penitentia. Alij etiam casus referuntur, qui iam non sunt in vsu. Alij verò referuantur Episcopo ex consuetudine; quales sunt. I. Homicidium voluntarium vel abscissio membri. II. Peccatum falsandi scripturas, vel testificandi falsum, vel tacendi verū coram iudice. Et peccatum admissum ab aduocatis & procuratoribus, ostendendo scripturas partibus aduersis. III. Violatio libertatis vel immunitatis Ecclesiasticæ, &

102 CATHEDRA. CAVPO. CAVSA.
omne sacrilegium. IIII. Peccatum reti-
nendi aliena incerta. cap. 27. 256. in No-
uo 161.

CATHEDRA.

QVI impedit dignum à consecutione ca-
thedre tenetur restituere, maximè stā-
te statuto quod necessariò debeat conferri
legitimo oppositori, seu candidato; ille au-
tem fecit, vt tali digno non daretur, sed alij.
cap. 17. num. 74.

CAVPO.

TENETUR restituere damnum, per a-
lium alteri factum, in sua taberna. cap.
27. num. 16. No. 17.

Peccat ministrans adeuntibus ad suam ta-
bernam cibos, quibus credit illos transgres-
suros ieiunium sine causa. cap. 21. num. 26.

CAVSA.

CAVSÆ sunt quatuor, videlicet efficiēs,
materialis, formalis, & finalis. cap. 27. n.
219. Quales sint hæ, & quid efficiant in
materia deformationis, & irregularitatis, &
quomodo possunt esse remotæ, ac propin-
quæ. vide cap. 27. num. 219. 220. & 210. 211.
& in

& in hoc Comp. tit. Irregularitas. §.

Causæ duæ finales possunt concurrere in B
facienda eleemosyna, scilicet amor Dei, &
necessitas proximi. cap. 17.

Quando sunt duæ causæ finales alicuius
actus, cessante vna non cessat ille, sed con-
seruatur ab altera. Sicut in paupere simula-
to, cui datur eleemosyna propter Deum:
Vbi licet altera finalis pereat ex parte simu-
lantis, altera tamen ex parte Dei viget, &
eleemosyna non desinit esse talis. cap. 17. nu.
100. & in Nouo. 107.

Causa impulsiva dicitur etiam illa, sine qua
non fieret actus, dummodo fiat principaliter pro-
pter aliam causam. cap. 23. num. 100. Coroll.
§. in No. num. 101.

Atque tunc quidem causa finalis potius
est attendenda, quam impulsiva. additum, C
Nouo, cap. 17. num. 107. §. Nec obstat.

Causa limitata limitatum producit effe-
ctum. cap. 17. num. 62. post medium.

Causa rationabilis, & iusta, semper à mor-
tali excusat transgressorem legis humanæ.
Præl. 9. num. 14. cap. 23. num. 42. No. Præl. 9.
nu. 16. c. 23. 42. Qualis autem sit hæc, vide
ibid. & in hoc compendio tit. Lex. I. lit. C.

Causa remota, vel non tã propinqua, quo-
modo obliget ad restitutionem. vide in tit.
Adulterium. lit. F.

CENSURA.

CENSURA est sententia quadam Ecclesiastica, lata à capite ordinis, mediante iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, quæ priuat communiōne Sacramentorum, vel hominū, vel exercitio diuinorū spiritualium, vel officii diuinis, vel Sacramenti, vel Sepultura, additum in Nouo cap. 27. num. 1.

Est verò cēfura triplex, videlicet, Excommunicatio, Sufpensio, Interdictum. c. 27. n. 1.

Censura lata in mandatis visitationum non est à iure, sed ab homine. num. 2.

In censuris fictio non habet locum. c. 27. num. 272. in Nouo 273.

CENSUS.

PECCAT qui emit censum sine cōditionibus requisitis. c. 17. n. 233. 234. 235. Vbi etiam refertur Extrauagās. Pij V. circa cēsus: quam vide infra in tit. pretium.

Non licet emere censum nouè imponendum, minori pretio quàm statuto. c. 23. n. 91. Secus, si sit iam impositus. n. 91. Sed in Nouo eod. num. dicit, quòd nec iam impositus.

CESSATIO A DIVINIS.

CESSATIO à diuinis, non est censura Ecclesiastica; sed est ipsa dimissio diuinorum

CESSATIO BONORVM. 105

norum officiorum. cap. 27. num. 164. & 188.

Est autem duplex, generalis & particularis. Atque cessatio generalis, non est idem quod interdictum generale. num. 188. Vnde, qui transgreditur cessationem etiam particularem, non est irregularis. Ibidem. Religiosi tamen non seruantes cessationem generalem, sunt excommunicati, etiam si cessatio sit inualida, seu nulla. num. 146.

Priuilegium audiendi officia diuina tempore interdicti, non prodest pro tempore cessationis. Nec priuilegium pro tempore cessationis generalis, prodest pro tempore specialis. Interdictum tamen fortius est cessatione. num. 189.

Solus summus Pontifex est qui ponit cessationem post interdictum: Et ipse non ponit cessationem generalem post interdictum generale, sed aliud interdictum speciale, vel cessationem specialem, quæ aufert celebrationem diuinorum officiorum, etiam ianuis clausis. cap. 27. num. 189.

CESSIO BONORVM.

EXCVSAT à restitutione in foro exteriori. At verò si debitor venerit in pinguiorem fortunam, non excusat eum in foro conscientia. cap. 17. num. 86.

G S CHA

CHARITAS.

CHARITATIS amor non est necesse
vt sit summus intensiue; sed sufficit vt sit
summus appretiatiue. cap. i. num. 9. cap. 11.
n. 5. in Nouo. c. i. nu. 4. c. 11. n. 6.

Charitas non obligat dare centum aureos
dicenti quòd aliàs occidet se. Prælud. 7. n. 12.

Charitatis actus aliquãdo delet peccatum
mortale. cap. i. num. 10. Nouo num. 5.

Peccatum est diligere Deum minus, vel
æquè, quàm creaturas. c. 11. n. 8. & No. n. 10.

B Præceptum diligendi Deum, est omnium
maximum. Quod quidem tunc adimpletur,
quandò homo diligit Deum propter seipsum,
& plusquam cætera omnia appretiatiue, ita
vt Deum præferat cunòtis rebus, & propter
nullam eum offendat. cap. 11. n. 5. & No. n. 6.

C Charitas non obligat, vt cum primùm ho-
mo peruenerit ad vium rationis, se conuer-
tat ad Deum tanquam ad vltimum finem:
obligat tamen, vt saltem in confuso, iuxta
capacitatem illius ætatis. cap. 11. num. 7.
Nouo num. 8.

D Secundò, obligat quoties obligat præce-
ptum charitatis. Tertiò, quãdo quis adul-
tus recipit baptismum, & antea non habuit
contritionem. Quartò, quotiescunque te-
nemur diligere proximũ ex charitate: quo-
niam

niam in amore proximi includitur amor Dei, tanquam finis. Præterea qui diligit Deum, credens probabiliter se esse in statu gratiæ, quamuis re ipsa non sit, impleuit hoc præceptum, quoad effectum euitandi nouum peccatum. num. 7. in Nouo num. 8. 9. 10.

Vnde potest hoc præceptum adimpleri quoad substantiam ab existente in mortali. cap. 11. num. 11. & 13. in fine. & c. 14. nu. 9. in No. c. 11. n. 10. 17. & c. 14. num. 9.

Præceptum charitatis aliquando obligat minùs principaliter ad diligendum Deum dilectione naturali. cap. 11. num. 8. Nouo numer. 10.

Deus diligendus est super omnia appreciatiuè. n. 6. & in No. num. 5.

Audiens aliquem blasphemantem, tenetur non solum illum corripere, sed etiam habere actum dilectionis in Deum. num. 8. Nouo num. 10.

Diligere Deum cõparatiuè minùs quàm F creaturas, vel æqualiter, est peccatum mort. At verò diligere eum æquè, vel minùs, vel absolutè absque comparatione, non est malum. c. 11. n. 8. & 14. No. num. 8. 10.

Diligere indirectè creaturam, plus quàm Deum, non est directè contra hoc præceptum, de diligendo Deum. num. 15. Nouo num. 19.

Dilige

Diligere aliquam creaturā firmiūs quā Deum, peccatum est mortale. ibidem Diligere Deum principaliter propter præmium, peccatum est mortale. num. 16. No-uo 20.

G Proximi amor est duplex, supernaturalis & humanus, qui in amorem concupiscentiæ vel amicitiae subdiuiditur. cap. 14. num. 6.

Præceptum diligendi proximum, obligat ad numquam excipiendum eum ab amore generali charitatis, ad diligendum inimicum veniam poscentem, & ad ostendendum illi signa amoris saltem naturalis. num. 9. vel quando indiget auxiliij nostri ad salutem animæ. num. 9. & 23.

H Præceptum diligendi proximum, potest impleri per se, loquendo extra statum gratiæ. num. 9.

Homo tenetur proximum existentem in periculo damni notabilis liberare, si potest, absque proprio incommodo. num. 10.

I Charitas non obligat, vt quis remittat offensori supplicium, vel vindictam faciendam per iudicem. Imò aliqui non possunt id facere etiam si velint: quales sunt vxor, filius familias nondum emancipatus, seruus, & religiosus. num. 25.

Nec obligat alloqui offensorem, nec ostendere signa amoris, nisi tempore necessitatis.

fitatis. Nec etiam satisficientem tenetur
admittere in pristinā familiaritatem. Quan-
do autem mutuò sese offendunt duo, si vera-
que offensio est æqualis, qui prius offendit,
debet prius petere reconciliationem. Si ve-
rò posterior iniuria sit grauior, posterior te-
netur prius petere. cap. 14. num. 25.

Peccat mortaliter, qui cum possit, non
impedit ne alius peccet mort. num. 26. & 31.
Coroll. 6. lit. D & cap. 24. num. 23. in Nouo
cap. 14. num. 27. 37. & cap. 24. num. 23. & in
hoc compendio, tit. Impedimentum.

Quando autem proximus non peccat ex
ignorantia, vel ex fragilitate, tunc non tene-
tur impedire peccatum, cum incommodo
proprio. num. 27. & in Nouo num. 27. M

Non peccat qui permittit aliquod gra-
uius peccatum, ut ob illud castigatus faci-
lius se corrigat ab illo, & ab alio minori.
ibidem.

Qui autem suo consilio, fauore, vel ope,
fuit alij causa peccandi mortaliter, peccat
etiam ipse mortaliter. num. 27. No. num. 28.

Non peccat mortaliter quicumque ab
alio petit aliquid, credens petitionem suam
futuram alteri occasionem peccandi mort.
nisi cum petit absque iusta causa. ibidem.

Non est contra charitatē, optare morbum, N
seu mortem alicuius propter bonum eius
spiri

spirituale. cap. 15. num. 10. Nec tyranno, vel inimicis Ecclesiæ, quando aliud non esset remedium. ibidem. & cap. 20. num. 3. No. cap. 20. num. 23.

Sola violatio charitatis non obligat ad restitutionem, etiam si alterum damnificet. cap. 17. num. 11. peccat non defendens proximum cum possit. cap. 24. num. 17.

Peccat qui videns aliquem ignoranter ementem rem vitiosam, non monet illum. cap. 24. num. 21.

Peccat mortal. qui proximum volentem se precipitare, non retinet, cum possit, & qui non extrahit etiam inuitum è domo iam iam ruente. cap. 24. num. 23.

Tenemur ad impedienda mala proximi, etiam illa, quæ ille vitare potest, si vult, modo non possit illis iustè consentire, vt præcipitium, suspendiũ, renurus cibi vel medicinæ ad vitam necessariæ. ibidem circa medium.

CHOREA, vide Spectaculum.

CHRISMA, vide tit. Baptismus V. & tit. Confirmatio.

CIRCVMSTANTIA.

A **CIRCVMSTANTIA** est quoddam accidens actus humani, qui est peccatum. c. 6. 1. Est autem circumstantia sextuplex, scilicet *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quo modo,*

modo, Quando. Præl. 7. num. 27. & cap. 6. num. 2. in No. Præl. 7. num. 24. cap. 6. num. 2.

Circumstantia oblita in confessione, potest confiteri non confitendo peccatum. in Antiq. Præl. 9. n. 4. & cap. 6. num. 20. in Nouo cap. 6. num. 20. B

Circumstantiæ necessariò confitendæ sunt ex omnes, & solæ, quæ mutant speciem peccati. cap. 6. num. 3. & 7. No. num. 3. 6.

Igitur sequentes circumstantiæ sunt necessariò confitendæ. I. Circumstantia copulæ habitæ cum coniugata, vel religiosa, vel cognata. num. 5. No. num. 4. II. Circumstantia graduum consanguinitatis & affinitatis. cap. 7. num. 4. III. Circumstantia deliberantis furari, vt possit accedere ad vnam religiosam, & alteram coniugatam. IV. Circumstantia coniugati accedentis ad alienam coniugatam. cap. 6. num. 5. No. num. 4. V. Circumstantia virginicatis, etiam per D actum interiorem. num. 7. Nouo num. 8. Etiam in viro. est enim diuersa species. ibidem. verum est quod cap. 16. num. 3. expresse dicit quòd virginitas in viro non mutat speciem. VI. Circumstantia augens peccatum, ita vt ratione ipsius fiat reseruatum. cap. 6. num. 7. Nouo num. 8. VII. Circumstantia habens annexam excommunicationem, vel efficiens excommunicationem esse E
Papa-

Papalem. num. 8. Nouo num. 9. VIII. Circumstantia odij filij erga parentes. cap. 14. num. 11. IX. Circumstantia personæ offensæ si sit pater, aut mater, aut Superior: non tamen si sit cognatus. requiritur enim quòd sint veri parentes. additum, in Nouo F cap. 14. num. 3. X. Circumstantia scandalii. Sed hoc in duobus casibus; primò, quando scandalum est formale, & tunc tenetur confiteri speciem illam peccati ad quod intendebat prouocare. Secundò; quando per opus de se bonum, secundum tamen apparentiam malum, datur aliis occasio peccandi mortaliter. Item, quando quis peccat publicè absque intèntione inducendi; tamen qui peccat est talis, & coram talibus, quòd verosimiliter id videntes accipient occasionem peccandi. Ibidem. XI. Circumstantia loci sacri, licèt semper aggrauet, non tamen est semper necessariò confitenda, nisi quando peccatum directè contrariatur immunitati, vel sanctitati loci, vt effusio sanguinis, vel feminis. cap. 6. n. 4. & 9. & 11. Nouo num. 4. & 11. §. 6. Idem de furto. num. 4. Nouo. n. 4. idem etiam de abstractione violenta eorum qui ad loca sacra confugiunt. num. 9. §. 11. & Nouo num. 11. §. 6. XII. Circumstantia conscientia erronea solùm est confitenda, quando opus non erat aliàs prohibitum.

bitum. num. 12. Nouo num. 14. XIII. Circumstantia, quæ interrogatur à confessario, & non potest taceri sine periculo spiritualis incommodi. num. 8. Nouo num. 9. XIII. I Circumstantia voti de non peccando in particulari, vel in generali. cap. 12. num. 34. XV. Circumstantia facientis quod peccet aliquis mortaliter, nimis comedendo, loquendo, bibendo, irridendo. &c. hæc cum frequenter sint venialia, confessarius solum iudicabit venialia, nisi illa circumstantia exprimat. additum in No. cap. 2. num. 6.

CIRCUMSTANTIÆ

*sequentes non sunt necessario
confitende.*

I. CIRCUMSTANTIÆ diei festi. cap K
6. num. 9. Nouo num. 10. II. Circumstantia diei consecrati ieiunio, vel orationi. Ibid. III. Circūstantia eius, qui existens in loco sacro, vult occidere vel fornicari extra illum: secus, si existens extra illum velit hæc in illo perpetrare. num. 10. Nouo num. 12. IV. Circumstantiæ omnes non mutant species peccati. num. 3. 7. & No. num. 3. 6. V. Circumstantia mutans veniale vnius speciei, in veniale alterius speciei. cap. 6. num. 3. H VI. Cir

- VI. Circumstantiæ omnes, quæ solùm sunt
M circumstantiæ in esse naturæ. *ibid.* VII. Circumstantia peccantis ob confidentiam veniæ, quia potius minuit quàm aggruat. n. 4. Nouo num. 3. in fine. VIII. Circumstantiæ Accidiæ. cap. 23. num. 125. IX. Circumstantia minuens peccatum, nec est necessariò confitenda, nec necessariò subtrahenda. In aliquo tamen casu erit necessariò confitenda; vt, quando facit nõ esse peccatum, vel ad summum facit esse veniale quod aliàs esset
N mortale. num. 6. Nouo num. 5. X. Circumstantia malorum verborum, signorum, ac gestuum antecedentium homicidium, vel percussionem: Item circumstantia verborum, & tactuum turpium precedentium fornicationem: circumstantiæ item cogitationum, & voluntatum, & apparatus ad furta vel ad alia delicta tendentium proximè, non sunt necessariò confitendæ, sed sufficit confiteri vltimum actum. nu. 7. & 17.
O No. n. 6. XI. Circumstantia propriæ personæ, licet augeat aliquando, regulariter non est necessariò confitenda nisi sit contra votum. num. 11. No. n. 13. XII. Circumstantia durationis est sub consilio confitenda. n. 17. XIII. Circumstantia aliàs necessariò confitenda debet taceri, quando ex eius manifestatione, reuelandus esset cõplex. c. 7. n. 1. Sed

CITATIO.

115

Sed in hoc casu tenetur poenitens quaerere alium confessorem. *ibid.* num. 5. Atque haec causa non est sufficiens confitendi alieno confessori. *cap. 7. num. 5.* Nec etiam est sufficiens ad communicandum absque praevia confessione. *Ibid.* num. 6. actus exterior non est Circumstantia actus interioris. *cap. 6. num. 10.*

Circumstantia numeri non est circumstantia, sed additio peccati ad peccatum, & frequentatio eius: & ideo debet numeratim explicari. *cap. 6. num. 13. No. num. 14.*

CITATIO.

CITATUS ad comparendum Romae certo die, si non potest illo die, tenetur quantocyus post illum poterit. *cap. 21. n. 45.*

CLERICVS.

PECCAT mortaliter clericus, qui ordine sacro insignitus, cohabitatur foeminae cum periculo consensus in mortale. Poterit tamen cessante hoc periculo cohabitare matris, sorori, vel extraneae seni. *cap. 25. num. 109.*

Poenae antiqui iuris contra clericos concubinarios inflictæ, renouantur per Concil. Trid. sess. 25, cap. 14. & insuper statuit, ut si à

H 2 *supe*

I superioribus moniti non destiterint, sine ipso facto privati tertia parte fructuum beneficiorum, & pensionum. Si vero nec secundo moniti resipiscant, perdant eo ipso omnes fructus & pensiones, & à beneficiorum administratione arbitrio Episcopi suspendantur: quòd si ita suspensi perseverent, beneficiis, portionibus, officiis, ac pensionibus quibuslibet perpetuo priuentur, & ad illa reddantur inhabiles: donec iustis de causis cum eis fuerit dispensatum. cap. 25. num. 109.

C Peccat mortaliter clericus qui post prohibitionem sibi factam, frequentat monasteria monialium, sine iusta causa, & manifesta. num. 110.

Non tamen peccat si nec sit beneficiarius, nec ordine sacro initiatus, qui clericus non gestat habitum & tonsuram, vel comam aut barbam nutrit, vel gestat vestes indecentes vel arma. Peccat verò mort. clericus beneficiarius, aut ordine sacro insignitus, habitum clericalem, & tonsuram non gestans, barbam aut comam nutriens, vel coronam non radens, indecentibus vestibus vel armis utens. num. 110. §. 33. Sed clericus non beneficiarius, nec sacris initiatus, bene potest facere omnia quæ laicus, in ciuilibus & etiam in criminalibus, dummodò non ferat rasuram, sicut nec cum illa licet ferre vestem
parti

partitam. eodem nu. additum in nouo. Vnde possunt agere causas criminales corā Iudice seculari. num. 110. si verò publicè deserant tonsuram non possunt esse aduocati in criminalibus. additum in nouo.

Peccat Clericus ludens, mendicans, lani-
que & tabernarij & mercatoris officiū exer-
cens, mensam non benedicens. Sed nō mor-
taliter; nisi quatenus vltra peccatum incur-
rit pœnas sibi à iure impositas, sicut clericus
tabernarius, & lanius, & qui laicalem, seu in-
decentem vestem gestat. Atque tunc limi-
tandum est, vt procedat quoad beneficiarios,
& ordine sacro insignitos, & monachos. cap.
25. num. 110. Nou. num. 111.

Peccat eodem modo clericus beneficia-
rius & ordine sacro insignitus, & monachus
exercens medicinam vel chirurgiam, etiam
sine incisione vel adustione, nisi causa pie-
tatis. Ibidem §. 34.

Clericus nō potest exercere mercaturam
& vilius emere, vt carius vendat: si verò ali-
quid superest ex his quæ ad suam sustenta-
tionem emit, potest vendere pretio iusto
quamuis sit carius quàm emit. Ibidem.

Item qui emit, vt vendat mutatū in aliam
formam, non dicitur exercere mercaturam,
sed ille solus qui emit, vt vèdat abique mu-
tatione eius. cap. 27. num. 128.

De clerico habente venam ferrariã, quando dicatur negotiari, colligitur ex eode loco & ex hoc compendio. tit. excommunicatione 6. §. 5. excommunicatione 21. Item potest aliquomodo honestè negotiari ad suam vel suorum sustentationem, per alium præfertim. Ibidem. Potest etiam ob animi recreationem operari aliqua honesta, vt scribere libros, ferere olera in hortulo. Ibidem.

F Vtrum verò huiusmodi leges obligent clericum ad mortale, aduertendum est, quòd id quod Caietanus ait, clericos non peccare mortaliter, transgrediendo leges humanas, nec has neque alias, nisi sequatur scandalum graue, vel peccatum quod sit iure diuino mortale; vel irregularitas, aut excommunicatio maior incurratur; nimis laxum videtur. Poterit tamen procedere quoad transgressiones legum illarum, quæ non vtuntur verbo præceptiuo, & quæ communiter nec à prælatis, nec à subditis inter magna peccata numerantur, vt omissio benedictionis mensæ, & alia huiusmodi, siue quòd leges illas à principio obligantes ad mortale consuetudo temperauerit, vt obligent tantum ad veniale; siue quòd à principio sic receptæ sunt. Ibidem.

Clericus ordinatus sacris, peccat si ad sit interficiendis reis, nisi iusta de causa.

Cleri

COADIUTOR. COLLAT. 119

Clericus etiam tenetur seruare taxationem Reipublicæ circa triticum. c. 23. n. 88.

Cætera clericorum peccata circa celebrationem Missæ, Sacramentorum administrationem, beneficia, & circa horas canonicas, ab eis admissa : vide singula suis locis & titulis.

COADIUTOR.

Coadiutoria vel regressus nõ concedantur, nisi quoad Episcopatum vel Abbatiam, cum entis caussis. c. 25. num. 139.

COGNATIO Spiritualis. Vide Matrimonium X. §. V.

Cognatio legalis. Vide Matrimonium. Ibidem. §. 6.

COLLATIO.

Collatio beneficij facta à Papa ei quem scit esse inhabilem, sua lege humana valet, licet non dicat se dispensare. Non tamen facta ab Ordinario etiam in casu quo posset dispensare. Præl. 9. num. 9. Quod intelligitur, quando est inhabilis Iure communi; secus, si constitutione synodali. c. 25. n. 74.

Qui firmiter proposuit conferre beneficium vni, si mutata voluntate, conferat alteri, valet collatio ; si tamen iam contulit vni,

& postea mutata voluntate, conferat alteri, non valet collatio; & tenetur restituere, licet secundus esset longè dignior. cap. 17. nu. 71. vtrum valeat collatio beneficij facta excōmunicato, suspenso, vel irregulari. Vide tit. beneficium 3. lit. I.

COLLEGIVM.

Qui donauit sua vel renuntiauit beneficio, vt admittatur in aliquo collegio, in quo soli pauperes admittuntur, habilis est, dummodo donatio, vel legitima renunciatio fiat absque vllō pacto retrodonandi, seu retrocedendi. cap. 17. num. 108.

Collega transgrediens statutum imponēs pœnam exclusionis à collegio, non tenetur ad pœnam, antequam condemnetur. cap. 23. num. 63.

COLLVSIO. Vide tit. Litigium.

COLVMBARIVM.

AEST illicitum, quando dominus opportunis temporibus alimentum non præbet columbis: nec circa columbarium habet fata, in quibus alantur pro maiori parte. Nec vicinus (cui columbæ domini nocent) habet eoridem quæ tantundem illi noceant. Non tamen

tamen est illicitum, quando non est lex prohibens, & est consuetudo permittens, nec populus conqueritur, nec apparet notabile damnum. cap. 17. num. 126.

Peccat qui in suo columbario certa semina spargit vt columbas ab aliis columbariis pertrahat ad suum: & tenetur restituere, si principaliter intendat alteras attrahere. Secus, si intendat suas pascere, ne alio euolent, aut reuocentur. cap. 17. num. 127.

COMMODATVM.

Qui commodans, reperit commodatum ante tempus constitutum à commodatario, contra eius voluntatem, & cum damno notabili eiusdem, peccat, & tenetur restituere. Secus, si res commodata fuit quouisque commodanti placeret. c. 17. n. 82.

Commodatarius, qui non reddit commodatum tempore præfinito, vel reddit deterius sua culpa etiam leuissima, peccat. n. 183. Idem, si vritur commodato in alium vsum quam concessum fuit, vel diutius, cum damno notabili commodatis; & tenetur restituere quamuis res deterior fieret casu fortuito. Non tamen peccat, si probabiliter credit commodantem contentum fore. Ibid.

H s imò

imò in aliquo casu non tenetur restituere, vt statim dicemus.

C Commodatarius non tenetur de damno, si absque eius culpa commodatum periit, vel deterius factum fuit, solo vsu ad quem concessum est; nec tenetur restituere, saltem in foro conscientia, si periit, vel deterius factum est alio vsu, quando certum est eodem modo periturum, aut deterius factum iri, si tempore competeti restitueretur. Ibidem.

D Peccat comodatarius, qui rem sibi commodatam commodat alteri cum damno notabili Domini. num. 184.

Qui commodatum sui gratia recepit tantum, vt regulariter accipi solet, si perit sua culpa, etiam leuissima, tenetur restituere. Si vero accipiat propter vtilitatem commodantis, tenetur solum de dolo, & lata culpa. Quòd si in vtilitatem vtriusque, tenetur de lata culpa & leui, non de leuissima. Neque ad hoc requiritur culpa mortalis, quoniam hæc obligatio, non tam oritur ex peccato, quam ex natura contractus. ibi.

F Qui misit commodatum per nuncium non habitum pro fideli, cuius culpa vel dolo periit, tenetur restituere: Secus, si misit per nuncium communiter habitum pro fideli.

Commodatum quomodocunque pereat,
Domi

COMMODATVM. 123

Domino perit, nisi interueniat dolus, pactum, culpa, vel mora. num. 185.

Peccat qui commodatum non vult restituere nisi solutis prius impensis, quas ipse facere tenetur, nempe victus, & curationes exigui pretij: secus, si sint maximi, vt curatio ab aliquo morbo, vel inuestigatio. num. 186.

Commodatarius potest retinere commodatum, pro recompensatione debiti liquidi. ibidem.

Licitum est, aliquo pretio commodare pecuniam ad pignus, vel ad ostentationem diuitiarum. num. 226.

COMMVNIO.

PARATVS ad communionem, si recordatur alicuius peccati mortalis, potest differre confessionem ad euitandum scandalum; tenetur tamen statim post communionem confiteri. cap. 2. num. 8. & in Nouo n. 9. vide plura, tit. Eucharistia.

COMPLICES.

NON sunt detegendi in confessione. c. 7. n. 2. Licet taceatur circumstantia aliis necessario confitenda: Secus autem, quando est probabile, detectionem talis circumstantia

tia profuturam, & non obfuturam, num. 2. & 8. Quando vero ex reuelatione circumstantia detegerentur complices, quarendus est alius confessor, num. 5.

Quando sint complices detegēdi in confessione iudiciali. vide tit. Iudex, & tit. Reus.

COMPOSITIO.

Compositio sufficit pro debitis incertis dummodo nō sit indiscreta, vt si viginti millia pro tribus vel quatuor millibus remittitur; sed procurans illam peccat. mort. donec eam adipiscatur, si cum possit non restituat pauperibus. c. 17. nu. 93.

Compositio non habet locum in fructibus ab Episcopo malè perceptis, ratione defectus residentia. cap. 25. num. 121.

CONCVBINARIJS.

Concubinarij vxorati, vel soluti, si ter admoniti ab Ordinario, concubinas non eiecerint, nec ab earum consuetudine se se iunxerint, excommunicentur. Mulieres etiam publice viuentes cum suis concubinarijs, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs grauius puniantur, & extra oppidum, vel diocesim eiiciantur. c. 16. num. 21.

Quando

Quando sint concubinarij absoluendi; aut quis dicatur concubinarius Notorius: & quæ sint pœnæ clericorum concubinariorum: vide titulo, Absolutio I. lit. H. Notorius lit. A. Clericus B.

CONDVETIO, vide tit. Locatio.

CONFESSIO SACRAMENTALIS. I. in Communi.

Confessio Sacramentalis est peccatoris accusatio secreta de suis peccatis coram proprio Sacerdote, ut ab illis sacramentaliter absoluat. cap. 2. num. 1.

Ut autem confessio sit Sacramentalis, non sufficit, quod homo flexis genibus, & præmisso signo crucis, dicat confessario, hoc tibi dico sub sigillo confessionis, sed requiritur quod animo confitendi sua peccata, & recipiendi absolutionem. cap. 8. num. 18. & cap. 18. num. 5.

Confessio facta laico non est Sacramentalis. cap. 2. num. 1. 4.

Confessio vero Sacramentalis non fuit inducta iure naturali: Neque instituta in Paradiso terrestri: neque à Iosue: neque à Iacobo Apostolo, neque ab Ecclesiæ consuetudine. Incepit autem post Chri

Christi aduentum, & ab eodem Christo redemptore nostro immediatè instituta. cap. 2. num. 2. 3. & est necessariò facienda, iure diuino, ab eo qui mortaliter peccauit post baptismum. num. 9. Nou. num. 11. Estque frequentanda. cap. 1. num. 33. & cap. 2. nu. 5. Nou. num. 29. & cap. 2. num. 7.

D Vt verò confessio sit legitima, debet habere sexdecim has condiciones,

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis
Asque frequens, nuda, & discreta, libens,
verecunda,*

*Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata. c. 2.*

Non licet regulariter fieri confessionem coram tertia persona audiente. cap. 2. nu. 5. Nou. num. 7. Facta tamen etiam coram multis valida est. ibidem, & c. 2. 1. nu. 36.

Ad confessionem autem, illa peccatorum excussio, & diligentia requiritur, & sufficit, quæ viro prudenti videbitur necessaria ad reuocandum peccata in memoriam, attenta qualitate pœnitentis, & attenta saltem voluntate, qua cupit interrogari à confessario, & respondere. Hæc enim supplet magnam partem diligentia requiræ. cap. 9. num. 13. Nouo num. 16.

Quòd si pœnitens obliuiscatur peccatum ex eo quod nihil excogitauit, cum tamen potuif

potuisset, confessio est nulla. cap. 6. num. 14
 Nou. 15.

Vtrum confessio requirat attritionem,
 vel contritionem putatam contritionem.
 vide in tit. Attritio lit. A. & tit. Contritio.
 lit. D.

Qui mentitur in confessione affirmando **G**
 vel negando aliquod mortale, peccat mor-
 taliter, nisi excusetur ignorantia. cap. 21.
 num. 37.

At verò qui mentitur in confessione af-
 firmando, vel negando aliquod veniale, vel
 mortale aliàs legitimè confessum, non pec-
 cat mortaliter, nisi in casu, quo nullum aliud
 verum peccatum confiteatur. ibid.

Peccat mortaliter, qui confitetur laico vel **H**
 clerico non presbytero, absque necessitate,
 cum possit confiteri presbytero: vel detegen-
 do imprudenter mortalia secreta, quibus
 absque mortali se infamare non potest, nisi
 excusetur bona fide. num. 41.

Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 6. defini- **I**
 uit sub anathemate hæc sequentia. **I.** Con-
 fessionem Sacramentalem esse institutam &
 præceptam à Christo Domino. **II.** Esse neces-
 sariam iure diuino. **III.** Nos obligari iure
 diuino ad confitendum omnia mortalia, & cir-
 cumstantias mutantes speciem. **IV.** Quòd con-
 fessio est possibilis. **V.** Quòd tenemur confiteri

in quadragesima. VI. Quod licet confiteri venialia. cap. 2. num. 10. No. num. 11.

CONFESSIO II.

*Quoad Materiam &**Formam.*

FORMA absolutionis essentialiter consistit in illis verbis *te absoluo*; reliqua verò, quæ antecedunt & subsequuntur, sunt de congruitate, cap. 36. num. 11.

Non sufficit confiteri peccatum mortale interiùs; sed interiùs, etiam confitendum est. Præl. 7. num. 23. Nouo 19.

Qui confitetur peccatum interiùs, consequenter confitetur interiùs, & non è contra. ibid. num. 24. Nouo num. 20.

Sufficit manifestare statum, etiam non confitendo numerum, sicut, in meretrice. cap. 6. num. 15.

Non sufficit confiteri peccata capitalia in genere, sed requiritur in specie, ita vt cognoscatur, an sit mortale, vel veniale. Præl. 9. num. 1. & 3. & cap. 2. num. 5. Nouo Præl. 9. num. 2. cap. 2. num. 8.

Sufficit confiteri se quæsiisse laudem de peccatis mortalibus, licet non specificet illa.

Præl.

Præudio. capit. 9. num. 4.

Qui per annum omisit recitare horas Canonicas, sufficit confiteri se anno integro illas omisisse. cap. 6. num. 15.

Non est confitendum peccatum, quoniam ex eius confessione imminet sibi, vel confessario, probabile damnum animæ, corporis, vel famæ. cap. 7. num. 3. & 4. Nouo num. 3. 6.

Quod saltem verum est, si scandalum proueniat ex ignorantia, vel infirmitate, non autem si ex malitia. ibid. num. 4.

Peccatum semel in vita confessum, non est necessario confitendum, neque ad id potest Ecclesia obligare sine penitentis consensu. cap. 9. num. 1. & cap. 23. n. 38. quando penitens qui ab inferiori absoluitur à reseruatis, teneatur iterum confiteri superiori. vide in tit. absolutio 2. lit. B.

Si quis recordatur se mortaliter peccasse, non tamen in qua specie, debet confiteri in genere; se mortaliter peccasse. cap. 10. nu. 7.

Quando penitens non est certus omnino F utrum consenserit in mortale, vel veniale; vel, utrum peccatum, quod commisit, sit mortale an veniale, debet sub conditione confiteri, & tamquam de mortali dolere de illo. ibidem.

Qui oblitus est circumstantiam necessa-
 I riò

130 CONFESSIO III.

riò confitendam, non tenetur postea iterum confiteri peccatum, sed sufficit illam confiteri. Præl. 9.num. 4.

Quæ circumstantiæ sint confitendæ, vel non. vide tit. Circumstantia.

CONFESSIO III.

Quo ad modum.

A **P**ECCAT mort. qui confitetur ob finem mortaliter malum; si tamen fuerit venialiter malus, peccabit venialiter. c. 2 i. n. 40.

B Ut aliquis dicatur confiteri principaliter, ne infametur in populo, vel propter metum apparitoris seu Merini, non satis est, quod alias non confiteretur: sed requiritur, ut id æquè vel pluris faciat quàm confessionem. Ibidem.

C Non peccat mort. qui ne bonam estimationem amittat, confitetur uni Confessario omnia peccata etiam grauiissima, & alteri postea solum leuiora. Ibidem.

CONFESSIO IV.

Quo ad iterationem.

A **N**VLLA lex diuina nec canonica obligat iterum confiteri peccatum semel rite confessum. Imò nec lex humana ad id obligare potest

potest absque pœnitentis cōsensu. c. 9. n. 42. & c. 23. n. 38. Vnde nemo tenetur ad iterandam confessionem semel legitimè factam. c. 9. n. 4. quando pœnitens, qui ab inferiori absoluitur à reseruatis, teneatur iterum confiteri superiori, vide in tit. absolutio 2. lit. B.

Confessio regulariter valet nisi aliquid **B** substantiale desit. nu. 1. Id verò, quod communiter dicitur, scilicet, quòd propter vnum ex quinque defectibus potest esse obligatio iterandi confessionem, nempe propter defectum vel pœnitentis, vel confessarij, vel contritionis, vel confessionis, vel satisfactio- nis, intelligendum est quando defectus est substantialis. num. 2.

Confessio facta à pœnitente excommuni- **C** cato scienter, illicita est; valida tamen, & non iteranda. n. 3. Secus, si sciat aut credat esse mortale recipere, vel procurare absolutionē à peccatis, manens excommunicatus. nu. 4.

Confessio facta Sacerdoti excōmunicato, interdicto vel suspenso, non tamē notoriè, si fiat ex ignorantia, valida est; imò quauis fiat scienter, dummodò pœnitens nō peccet pe- tēdo absolutionē à tali Sacerdote. n. 7. No. 9.

Facta autem Sacerdoti excommunicato, **D** suspenso, vel interdicto, denunciato, ac declarato, vel notoriè tali, quamuis non sit ob notoriam percussione[m] clerici, non valet. n.

6. Sed in Nouo. num. 8. & cap. 17. num. 35. videtur correctum hoc vltimum.

E Confessio facta alieno confessario spe rati-
habitationis, est iteranda. c. 9. nu. 5. No. n. 6.

Facta etiam Sacerdoti existenti in mor-
tali, est iteranda, si pœnitens peccauit indu-
cendo illum. ibid. num. 7. No. num. 10.

Facta item Priori, Abbati, vel Parocho,
nullum titulum bonum, nec malum habenti,
est iteranda. num. 8. No. num. 11.

F Facta bona fide ei qui nullum titulum
bonum, nec malum habet, vel qui notorie
amisit illum, cognito postea hoc defectu, est
iteranda. Ibidem.

Facta etiam Sacerdoti qui nesciuit, vel
noluit vti forma substantiali absolutionis,
non est valida. num. 9. No. num. 12.

G Facta item absque proposito vitandi pec-
cata in posterum, non est valida. Si tamen
doleat de præterito, & proponat de futuris,
quamuis dolor, & propositum nõ sint talia,
vt sufficiant ad gratiam etiam cum Sacra-
mento, valida est. ca. 9. nu. 10. No. num. 13.

H Confessio facta à pœnitente qui scienter
tacuit peccatum mortale, præ pudore est
iteranda. num. 11. No. num. 14.

Facta etiam non adhibita diligentia re-
uocandi peccata in memoriam, non valet. n.
15. No. num. 16. Quod magis explicatur
cap.

CONFESSIO IV. 133

cap. 6. num. 14. No. num. 15. Scilicet si pœnitens nihil antea cogitavit.

Quando confessio non est integra, quia I tacetur aliquid mortale, vel circumstantia, vel quia data opera fit Sacerdoti, à quo pœnitens non bene intelligitur, est nulla. Secus si fiat iusta de causa, aut ex ignorantia. c. 9. num. 11. No. num. 15.

Duobus autem modis poterit prudens confessarius cognoscere confessionem fuisse invalidam, & iterandam, eo quòd facta fuerit confessori ignorantis: scilicet quando ipse prudens cōfessor aliàs iam nouit illius omnimodam ignorantiam, vel quando ex discursu confessionis sibi factæ, talem ignorantiam colligit, eo quòd ille in rebus grauibus quas minime ignorare debuisset, nullū remorsum conscientie, vel scrupulum inicit ipsi pœnitenti. Velut si simplicem fornicationem, vel omissionem sacræ communionis in paschate, vel semel in anno, esse peccata mortalia diiudicare non nouit. num. 9. No. num. 12.

Confessio facta confessori potenti absolueri à quibusdam peccatis, & à quibusdam non, non est iteranda quo ad omnia. num. 6. No. num. 7.

Non est iteranda confessio, eo quòd satisfactio non sit adimpleta; vel, eo quòd sit adimpleta in mortali. Secus, si ante absolutionem,

tionem, contemneret satisfactionem sibi iniunctam. cap. 9. num. 14. No. num. 17.

Neque etiam est iteranda, eo quod penitens credat se postea peccaturum. Secus, si crederet, se non posse à Deo sufficiens auxilium impetrare. num. 15. No. num. 18.

Qui iterat confessionem cum Sacerdote, cum quo antea inualidè fuerat confessus, si sacerdos meminit peccatorum, vel penitentiae iniunctae, vel status penitentis, saltem in confuso, non tenetur penitens, iterum in particulari confiteri peccata semel confessa, sed in generali, dicens, *de omnibus peccatis quae tibi aliàs confessus sum, dico Deo meam culpam, & tibi pater*; deinde declararet peccatum, quod scièter omisit, vel ob quod confessio facta, fuit nulla. cap. 9. nu. 16. No. num. 19.

N Peccat venialiter, qui imprudenter, propter scrupulos, saepius repetit confessionem legitimè factam: imò si fiat cum periculo desipiendi, vel cum notabili scandalo confessarij, vel notabili infamia tertij, erit mort. cap. 21. num. 42.

Scrupulosus, semel legitimè confessus, quavis postea occurrant peccata, quae ignorat an fuerit confessus, vel non, non tenetur iterum confiteri, sed certè iudicare potest, se illa confessum fuisse. *ibid.*

Per

Per Confessionem, quam non sequitur absolutio, non impletur præceptum Ecclesiæ. cap. 10. num. 4.

CONFESSIO V.

Quo ad obligationem.

Nullus tenetur confiteri, tertia alia Naudiente persona. cap. 2. num. 5. Nouo num. 1. & 7. Nec per interpretem, vel per scriptum. cap. 21. nu. 36. Facta tamen confessio sic, valet: & valet etiam absolutio in scriptis missa. * cap. 21. num. 36. & cap. 2. nu. 5. No. num. 7.

Nullus tenetur confiteri peccata aliàs ritè confessà, vt dictam est, Confessio. IIII. lit. E. A.

Peccat qui cùm possit confiteri ore proprio, non vult nisi per scriptum, vel nunciium, ob pudorem vel segnitiam. cap. 21. num. 38.

Tempus in quo obligat confessio, non est definitum iure diuino, sed iure humano. cap. 2. num. 6. Nouo num. 9. Non obligat, fieri statim post peccatum. Ibid.

Qui autem nouit se non habiturum memoriam omnium peccatorum in Quadragesima, non tenetur præuenire confessionem.

* Obserua, lector, hanc opinionem D. Nauarri. qua sicut etiam multorum aliorum, Confessionem in scriptis, & Absolutionem dari potest: post Fel. mem. Clemen. V. II. decretum, nullo modo esse tenendam, is enim decreto quodam edito 19. Iulij anni 1599. eam planè reprobanit, & tamquam falsam, & temerariam, & scandalosam damnauit.

fibi
ce-
cus,
au-
pe,
si
eni-
fal-
ite-
mel
mi-
dico
de-
l ob
1. 16.
pro-
nem
culo
con-
mort.
fifus,
gno-
netur
otest,
Per

nem. cap. 21. num. 35.

Obligat autem tempore debito cum qui instante necessitate confessus est laico mortalia. num. 45.

Obligat Religiosum saltem D. Benedicti, vno quoque mense. cap. 2. num. 6.

Obligat etiam contritum volentem accedere ad Eucharistiam. num. 7. & nou. n. 9.

Non tamen obligat præparatum ad communicandum, qui, vt vitet scandalum, non confitetur peccatum, cuius tunc recordatur. Obligat tamen secundum ius nouum Trid. vt. statim post communionem confiteatur. cap. 2. num. 8. No. num. 9.

Obligat etiam in articulo mortis. ibid.

Item cum probabiliter existimatur non futuram opportunitatem confitendi per totum annum: & etiam quando quis vouet pluries confiteri. ibid.

Per confessionem, quam non sequitur absolutio, non impletur præceptum Ecclesie. c. 10. num. 4.

Præceptum confitendi semel in anno, obligat omnem vtentem ratione. Vfus autem rationis non aduenit omnibus eodem tempore. cap. 21. n. 33.

Non peccat contra præceptum confitendi semel in anno, qui non habet copiam confessoris; vel excommunicatus, qui non negligit

git procurare absolutionem, vel ex consilio Confessarij differt confessionem, vel, qui tantum habet venialia, c. 21. n. 34. Nisi tanto affectu sit circa illa, ut timeat, quod per ea fit inducendus in mortale, nisi sanet illa venialia, confitendo. num. 31. Et potest confiteri vnum veniale, tacendo aliud. nu. 34.

CONFESSIO. VI.

Quoad sigillum.

SIGILLUM est obligatio aliquid occultandi. A
cap. 8. num. 1.

Et est duplex, legis diuinæ, naturalis, & Confessionis, ex lege diuina positiua. num. 2. Atque sigillum confessionis, etiam est de lege naturæ. num. 5.

Sigillum confessionis nunquam est reuelandum, nisi de licetia pœnitentis. n. 2. & 10. Obligat, quâuis pœnitens nō absoluitur. n. 2.

Cadunt verò sub sigillo non solum mortalia & venialia, & circumstantiæ, sed etiam omne illud per quod directè vel indirectè detegeretur, pœnitentem, aliquod mortale, vel aliquod particulare veniale, etiam leuissimum, commisisse. num. 3.

Reuelare peccatum veniale, est peccatum mortale, quia plurimum lædit Sacramen

I 5 men

mentum. capit. 18. num. 52.

Neque solum obligat confessarium, verum etiam omnem qui audit confessionem licite vel illicitè, mediatè vel immediatè. cap. 8. num. 4.

Obligat etiam interpretem, & consiliariũ. cap. 8. num. 7. cap. 18. num. 51. Quos omnes obligat etiam cum periculo mortis. cap. 18. num. 51.

Sigillum confessionis fortius est, & arctius quàm sigillum naturale; & grauius peccat, qui infringit hoc sigillum Confessionis, quàm qui violat secretum naturale. cap. 2. num. 5. cap. 18. num. 52.

Sigillum confessionis durat etiam post mortem. cap. 2. num. 7.

Aliquando detegitur, si confessarius (quãuis ipse putet non detegere) incautè loquatur, his vel illis verbis: vt dicere pœnitenti coram aliis, quem non absoluerat, *Tibi denego Sacramentum Eucharistia, quia habes casum reseruatum, à quo ego non potui te absoluerè.* Item dicere, *Illi mihi confessus est multa & graua peccata.* Vel audita duorum vel trium confessione dicat de vno eorum, *Iste nullum peccatum mortale habuit.* indirectè enim dicit reliquos illud habuisse. Item confessarius, qui audita confessione aut casu difficili, statim consulit Doctorem præsentem, & accepto

accepto consilio continuo redit ut absoluat penitentem, si illum frangit. Item frangit illud Sacerdos, qui confitens alteri, accusat se absoluisse aliquem à peccato Simonia, eo modo ut facile possit conicere illius confessarius, quisnam fuerit ab eo absolutus. Item reprehensibiles sunt confessarii, qui sibi inuicem confessiones referunt, dicentes, *quidam miles, vel quadam mulier, confessi sunt mihi hodie hoc vel hoc;* vel qui dicit, *iste confessus est admodum bene, sed ille non mihi satisfecit.* Item infringit qui dicit, *ille confessus est mihi, sed ego non absolui eum.* Item qui dicit, *Nolui illum absolvere, quia non vult relinquere concubinam, vel restituere.* cap. 8. num. 8. 9. 10.

Sacrilegè faciunt, qui sine necessitate audiunt in confessione multos pueros rationis usum habentes, simul congregatos, quia iniuriam faciunt Sacramento, & peccata reuelantur etiam ab ipsismet pueris. cap. 8. num. 13.

Violatur etiam sigillum, ex hoc, quod confessarius, de concubinariis vel aliis publicis peccatoribus dicat, quod sibi sunt confessi illa peccata publica: nam licet non reuelet peccata, siquidem publica sunt, reuelat tamen, illos ea explicasse in confessione. cap. 2. num. 10. §. 12. No. num. 11.

Non

H Non tamen violat Sigillum Confessarius, qui denegat absolutionem publico peccatori, & postea accedente illo ad communicandum, ita se gerit cum illo, ac si non audiuisset eius confessionem, dicens ei, *Amice, tu fuisti, hucusque publicus peccator, & nondum egisti publicam pœnitentiam, & antequam illam agas, Eucharistia non debet tibi ministrari publicè.* cap. 8. num. 11.

Non violatur sigillum ab illo confessario qui dicit *ego audius peccata Petri.* nisi quando pœnitens adeo clam confessus, ut ob istam causam nolit alium scire, se tali sacerdoti confessum fuisse. cap. 8. num. 11.

Vtrum autem violetur ex impositione publicæ pœnitentiæ, vel magnæ, statim adimplendæ. vide in tit. Satisfactio II.

I Confessarius, qui propter peccata audita in confessione, denegat suffragium pœnitenti, non exprimendo causam, non violat sigillum. num. 12.

Neque etiam qui cautè consulit Doctorem, consilium petens ab eo. num. 15.

Neque qui ex Petri confessione intelligens Ioannem esse complicem, postea Ioannem de illo crimine interrogat, dummodo cautè faciat. num. 17.

K Neque qui admonet hæredes sui pœnitentis, quod ipse pœnitens sibi mandavit,

CONFESSIO. VI. 141

vt hæredibus diceret, quòd restituerent tale debitum defuncti. cap. 17. num. 23.

Malè facit confessarius dicendo, *In tali loco, in quo audiui confessiones, perpetrantur grauia crimina*: non tamen violat sigillum. cap. 8. num. 16.

Interrogatus autem Confessarius, quid egerit erga poenitentem, debet dicere, *se suo munere fuisse perfunctum*: Non tamen licebit dicere se non absoluisse. num. 14.

Non violat sigillum confessarius, qui vocatus in testem, testificatur id quod audiuit in confessione, qui tamen alia via id sciebat. num. 15.

Qui interrogatus ab aliquo utrùm poenitens confessus fuerit ei tale vel tale peccatum, licitè potest negare, etiam adhibito iuramento. cap. 8. num. 17. No. num. 19.

Confessarius non potest se intromittere ad liberandum à morte eum quem per confessionem cognouit esse innocenter. cap. 15. num. 16. No. num. 17.

Reuelatio peccati auditi in confessione, aliquando potest esse peccatum mortale, triplici ratione, vt cum peccatum est occultum, & graue. tunc enim peccatur. primò, contra secretum, quod etiam nulla interueniente promissione obligaret. secundò, contra promissionem, saltem tacitam, cetandì, tertio,

tertiò, contra legem Euangelicam, cap. 18. num. 52. vnde videtur teneri confessarius id explicare in confessione. ibidem circa medium.

Confessarius non potest extra confessionem, publicè nec secretò corripere poenitentem de peccatis confessis, nisi poenitens significaret id esse sibi gratum, inducendo colloquia vel consulendo super eis. cap. 24. num. 13.

Peccat mortaliter poenitens, qui aliquid à confessario sibi dictum vel præceptum, reuelat cum notabili detrimento vitæ, famæ, vel bonorum eius. cap. 21. num. 43. No. num. 44.

Vt autem aliquod peccatum cadat sub sigillo confessionis, non sufficit, quòd poenitens flexis genibus & præmisso signo crucis dicat Confessario, *Hoc tibi dico sub sigillo confessionis.* Sed requiritur quòd illud dicat animo confitendi sua peccata, ac recipiendi absolutionem. cap. 8. num. 17. 18. & cap. 18. num. 55.

CONFESSOR I.

Quid sit.

QUI LIBET simplex Sacerdos non præfusus ab Ecclesia potest, & est confessor

CONFESSOR II. 143

fessor idoneus in articulo mortis. cap. 4. num. 1. & cap. 26. num. 26. in Antiquo. Sed cap. 27. num. 271. & ferius in Nouo cap. 26. num. 26. corrigens hanc sententiam, admittit omnem Sacerdotem, quomodolibet præcisum, excepto hæretico. vide in hoc compend. plura in tit. Articulus mortis.

Quilibet simplex Sacerdos, est idoneus confessor, respectu habentis tantum venialia, vel mortalia; aliâs rite confessâ. cap. 4. num. 1.

Clerici sæculares non expositi non possunt post Trident. mutuò suas confessiones audire. Bene tamen Religiosi, qui virtute suarum bullarum poterant ante Concil. confiteri clericis sæcularibus idoneis. n. 2.

Timor, quòd post confessionem Parochus maiorem habeat sollicitudinem de pœnitente, & minorem æstimationem; non est causa sufficiens confitendi alieno confessori. Nec etiam pudor est causa sufficiens, nisi sit adeo magnus vt pœnitentem constituat in periculo tacendi aliquod peccatum. cap. 7. num. 9.

CONFESSOR II.

Qualis esse debeat.

CON

CONFESSOR debet habere potestatem scientiam, & bonitatem. cap. 4. num. 1.

Et potestas quidem in hoc consistit, quod sit presbyter habens iurisdictionem actualem, ordinariam, vel delegatam, quæ ad peccata sibi confessa extendatur. cap. 4. num. 1. Nouo num. 2.

B Confessor, ut quo ad scientiam sit perfectus, debet scire Theologiam Sacramentalem, & moralem utriusque iuris peritiam, constitutionesque synodales regionis, ubi confessiones audit. Sed, ut sit sufficiens, satis est, ut relegens libros etiam vulgares, sciat discernere peccata, utrum sint mortalia, seu venialia, & quænam eorum postulent restitutionem, quæ circumstantiæ peccatorum sint necessario confitendæ, quænam peccata sint reservata, & quæ sint censuris annexa, aut quæ excommunicationes sint reservatæ, & si auditurus est clericos, sciat casus irregularitatis & suspensionis: vel sciat in his omnibus dubitare, & consulere peritos. cap. 4. num. 2. Nouo 8.

D Potest autem vnus confessor esse idoneus in vno loco, vel alicui personæ, & non in alio, neque alij, ut aliquibus exemplis notis patet. num. 4. Nouo 10.

Audiens confessiones ex obedientia, non minus tenetur scire quam audiens sponte

CONFESSOR. II. 145

sponte sua. num. 3. & Nou. num. 9. Vnde, qui audit confessiones ex obedientia iudicans se non esse idoneum, peccat: secus si dubitat. num. 6. Nouo num. 14. confessarius, eo quòd sponte se obtulerit, non tenetur ad amplius quàm ad vitandam culpam latam, & leuem. num. 3. in fine, & Nou. num. 10.

Confessarius ignorans aliqua communis-
sima, & necessaria, peccat mortaliter. num. 4.
Nouo num. 12.

Excusabitur tamen in tribus casibus. I.
Quando pœnitens est valde sufficiens sibi.
II. Quando pœnitens est persona spiritua-
lis, quæ crebrò confitetur. III. In articulo
mortis. Et idem est de confessario existente
apud infideles; inter quos degunt Christia-
ni. cap. 4. num. 5. Nou. num. 13.

Confessor, vt licitè audiat confessiones,
debet esse sine peccato mortali. nu. 6. Nou.
num. 15.

CONFESSOR III.

Ad quid teneatur.

Confessor, antequam confessionem au-
diat, vel cum audire vult, debet cor in
Deum erigere ad obtinendum diuinum au-
xilium. cap. 10. num. 1.

K Deinde,

Deinde, pœnitentem hilari vultu accipiat, eumque admoneat, se potius Deo quam homini confiteri, vt sic confidenter sua peccata & conscientiam aperiat. num. 2.

Præuidens autem pœnitentem, quòd vult nominare complices, debet statim admone- re ne nomet; aliàs ipse pariter peccabit peccato infamiæ. cap. 7. num. 2. & cap. 10. num. 6.

B Aduertens notabilem defectum circa de- bitam diligentiam, debet pœnitenti præce- pere, vt eam adhibeat, ac postea redeat, nisi urgeat articulus mortis, belli, naufragij, ve- scandali, vel alia iusta de causa. cap. 9. num. 13. Nou. num. 16.

Debet etiam considerare, an pœnitens de- bitam habeat contritionem: quam si non habuerit, iuuat illum aliquibus considera- tionibus. cap. 10. num. 4.

Cùm verò aliquod peccatum graue ab ipso audierit, nulla signa admirationis, abo- minationis, aut pauoris ostendat; veluti spuendo, vel se cruce signando, vel se ipsum commouendo; quin potius ac si nihil audi- ret, vsque ad finem confessionis dissimulet & tunc cum iam velit pœnitentiam impo- nere, peccatorum granitatem ac deformi- tatem exponat. cap. 10. num. 6.

C Non debet impendere absolutionem in-
dispo

CONFESSOR. III. 147

disposito, quamvis pœnitens dicat, desperationem, vel scandalum subsecuturum. nu. 4.

Debet pœnitentem audire, quamvis absque ordine, & crasso modo peccata recenseat. num. 6.

Si viderit pœnitentem velle occultare peccata, vel illorum obliuisci, vel quia existimat non esse mortalia, debet illum prudenter pertrahere ad dicendum ea. num. 7.

Peccat mort. acceptans officium audiendi confessiones, principaliter ob lucrum, vel fauorem, vel curiositatem, aut voluptatem lasciuam. Secus, si minus principaliter quæreret tria prima prædicta: non enim esset peccatum mortale, nisi essent causæ finales, sine quibus non. num. 8. in fine.

Non debet inducere pœnitentem ad vouendum, vel iurandum, se ab aliquo abstenturum. cap. 12. num. 20. Præcipue si fuerit maxime illaqueatus illo. cap. 26. num. 25.

Quando autem debeat ante absolutionem peccatorum, cautionem iuramenti à pœnitente accipere, vide in tit. Absolutio. I. lit. I.

Quomodo consulat meretricibus, vel aliis delinquentibus, quod petant sibi promissa ob actum turpem. vide tit. Meretrix.

Quando solus ipse nouit, aut scit, coniugatos per ignorantiam iustam ignorare im-

K 2 pedi

pedimentum Matrimonij, neutri parti dicere debet, etiam si fides sit ei adhibenda cap. 22. num. 83.

Tenetur admonere pœnitentem in his in quibus errat; saltem in his quæ scire tenetur. cap. 26. num. 1.

G Confessor, siue sit proprius parochus, siue non, tenetur absoluerè pœnitentem contra propriam opinionem, quando opinio pœnitentis innititur rationi æquali, vel fere æquali. Secus, si credat se inniti euidenti testi, vel rationi; pœnitentem autem dubiam cap. 22. num. 4.

Cum dubitat, vtrum aliquid sit mortale, securiorem partem debet eligere. Cum vero dubitat, vtrum pœnitens hoc facere, vel dare, vel pati debeat, benigniorem debet amplecti. num. 5.

H Quando absoluit aliquem à casibus, in quibus non poterat, si non potest obtinere licentiam, tenetur admonere pœnitentem si possit absque scandalo. cap. 25. num. 96. cap. 26. num. 14.

Quid debeat Confessor interrogare pœnitentem, vide in tit. Interrogatio.

CONFESSOR. IV.

Quo ad praesentationem.

Confessores ignari praesentari non debet.
cap. 4. num. 4. & in Nou. num. 10.

Non sunt sublata per ius commune privilegia Religiosorum, circa modum praesentandi Ordinario confessores sui ordinis.
cap. 27. num. 190. & 261. Nou. num. 264.

Episcopo, sine iusta causa, nolente eos admittere, possunt praesentati facere omnia perinde ac si fuissent admissi. num. 262. Nou. num. 264. etiam post Concil. Trident. additum in Nou. in miscellanea 1. num. 264. & num. 265.

Religiosos suos tenentur Praelati praesentare episcopis in Confessarios. num. 261. Nou. 264. Atque Religiosus sic a suo Praelato praesentatus, & admissus ab Ordinario, non indiget amplius nova alia praesentatione, quamvis aliquoties exierit dioecesim. num. 262. Nou. num. 266.

Per privilegium Innocentij VII. potest aliter fieri praesentatio. num. 267.

Per bullam Greg. XIII. reuocantur privilegia a Pio V. mendicantibus concessa, quatenus contrariantur Concil. Trid. in fine Manualis.

K 3

Peccans,

A Peccans, ob confidentiam veniæ, minus peccat, & ideo hæc circumstantia non est necessariò confitenda. cap. 6. num. 4. Nou. nu. 3. in fine.

Confidentia *in genere est certa spes de re aliqua quòd ita fuit, est, vel erit; & est duplex, licita vel illicita.* cap. 23. num. 109.

B Confidentia licita est, qua quis ordinatè sperat: illicita verò, qua inordinatè. Quæ etiam distinctio faciendâ est in Confidentia beneficiâ. Nam confidentia beneficiâ licita, est illa qua quis ordinatè cõfidit, quòd collator conferet beneficium fratri suo, eo digno. Illicita autem est, qua quis inordinatè confidit quòd collator conferet beneficium fratri suo, eo indigno. Ibidem.

C Illicita rursus est duplex, Simoniaca, qua quis confidit quòd collator conferet beneficium mediante pretio, pacto, modo, vel conditione expressa, vel tacita, digno vel indigno. Illicita non Simoniaca, est, qua quis confidit quòd collator conferet beneficium ob cognationem, amicitiam, indigno, sine interuentione pretij, pacti, modi seu conditionis. Atque ex his duabus prima est verita per motum proprium Pij I V. & Pij V. Ibid.

Confidentia, quæ ante Extrauagan. horum Pontificum erat, vel licita, vel illicita, & Simoniaca; vel illicita, & non Simoniaca; est

C O N F I R M A T I O. 151

est etiam talis post eam; & nihil est hodie prohibitum de ea, quod non fuerit etiam antea. Ibid.

Coniecturas, quibus confidentia Simoniaci colligi potest, & reliqua alia plura ad Confidentiam pertinentia, vide infra in tit. Simonia. I. lit. S.

C O N F I R M A T I O.

Confirmatio Sacramentalis est, Sacramentum unctionis chrismatis consecrati, quo Episcopus ungit frontem baptizati, sub certa forma verborum. cap. 22. num. 8.

Eius materia est Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo. Balsamum non est de necessitate Sacramenti, sed precepti. Consecratio autem olei, est de necessitate Sacramenti. Ibidem.

Forma huius Sacramenti est, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Amen. Debétque concurrere unctio simul cū prolatione formæ. ibid.

Eius minister est Episcopus: potest ex dispensatione Apostolica esse presbyter. Ibid.

Ante Confirmationem debet precedere necessariò baptismus. Ibidem.

Peccat mortaliter qui, non existens Episcopus

K 4

scopus, ministrat illud: vel, qui Episcopus ungit oleo non consecrato, aut, non seruata forma. num. 9.

Peccat etiam mortaliter, qui credens, vel credere debens, se esse in mortali, suscipit Confirmationem: Et, qui per contemptum non curat se suamque familiam confirmari. Si verò tantum sit negligentia, erit veniale. num. 9.

Ille autem verè contemnere videtur qui potens sumere commodè, ideo principaliter omittit, quòd parui facit illud. num. 9. cap. 22.

Peccat item, qui patitur se sine patrino confirmari. Ibidem. Qui autem non suscipit Cõfirmationem ante omnem ordinem, peccat quidem, sed non mortaliter, si desit contemptus. Ibidem.

Cognatio Spiritualis non egreditur confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem. cap. 22. nu. 37. Hæc cognatio restringitur, sicut illa, quæ nascitur ex baptismo. num. 40.

Concil. Trid. sess. 7. *damnat sub anathemate dicentem, Confirmationem non esse nomen & verum Sacramentum, vel nullam habere virtutem, vel ordinarium eius ministrum non esse solum Episcopum.* num. 8.

CONIECTURA non habet locum in
claris

claris. Prælud. 5. num. 5. Nou. num. 9.

CONIVGIUM, & coniunx. vide plura: in tit. Luxuria, Maritus, Matrimonium, Vxor.

CONIVRATIO.

Presbyter, prodiones, homicidia, & alia delicta parata potest denunciare, nec erit irregularis, si præmittat protestationem. Quod verum est, licet iurasset non reuelare. cap. 18. num. 54. & quamvis sit religiosus. cap. 24. num. 11. Neque est præmittenda fraterna correctio. Ibidem.

CONSANGVINITAS, vide Matrimo. X. §. IV.

Conscientia est dictamen actuale practicum, de aliqua re facienda vel non facienda. cap. 27. num. 275. Nou. num. 280. Et est triplex; certa, quæ certò iudicat; dubia, quæ nulatenus iudicat; scrupulosa, quæ habet argumenta contra id quod iudicat. nu. 27. 6. No. num. 281.

Conscientia erronea obligat. Præl. 7. num. 15. & Præl. 9. num. 9. & cap. 14. num. 26. Nou. Præl. 7. num. 10.

Vt autem obliget ad mortale, non sufficit quòd dicter esse peccatum, sed requiritur quòd dicter esse mortale. Præl. 9. num. 9.

K 5 Con

D Conscientia dubia potest deponi, quoad vnum effectum, & non quoad alium. Atque tunc iudicio prudentis perpendendæ sunt rationes dubitandi. Si enim sunt graues, neutrum credere aut facere debet. Si verò leues, quoad vtrumque potest deponi. Si autem mediocres, potest quoad vnum deponi, & non quoad alium, consideratis considerandis. cap. 22. num. 55.

Conscientia quid agat in animo, & quomodo sit vera vel falsa. vide in tit. Scrupulus. C.

CONSECRATIO

Virginum.

Monialis, quæ cum esset sæcularis, vel ante professionem, occultè fornicata est, peccat, si absque dispensatione, aut alia honesta cautela suscipit consecrationis velum. Idem de ea quæ voluntariè sese polluit. c. 16. num. 3. §. An Sanctimonialis.

CONSENSVS.

Consensus interpretatiuus de actu prohibito est malus. Ad quem vt sit mortaliter malus quatuor requiruntur. I. Quod sit de obiecto mortaliter malo. II. Quod homo plenè aduertat se delectari. III. Quod non

non resistat delectationi. IV. Quòd omis-
sio huius resistentiæ sit absque rationabili
causa. cap. 11. num. 9. & in Nou. nu. 9.

Qui consentit peccato alterius, peccat.
num. 12. Nou. 15. Aliquis autem potest con-
sentire peccato alterius nouem modis. Quos
vide in tit. Participatio. qui mandat facere
delictū, dicitur consulens: qui exequitur, di-
citur faciens. cap. 17. nu. 19. Vtrūm idem sit
consentire sponte & consentire metu non
cadente in virū constantem. Vide tit. Metus.

CONSILIVM.

Consilium non obligat neque ad venia- A
le. præl. 9. num. 8. Vnde omittere consi-
lia secluso contemptu, non est malum. Sunt
autem consilia seruanda in præparatione
animæ. cap. 20. num. 2. Nou. num. 20.

Consilij opus melius est, quàm opus præ- B
cepti. cap. 12. num. 3. Peccat verò consulens
alicui aliquod malum non ex animo, sed so-
lūm ad tentandum eum. cap. 14. nu. 3. lit. E.
Nou. num. 37.

Non peccat consulens minus malum. cap.
14. num. 3. lit. G. cap. 17. num. 263. c. 24. nu.
1. Nou. cap. 14. num. 39. 40.

Peccat qui consulit scienter, & dolosè, C
inò quamuis bona fide, si non adhibeat de-
bitam

bitam diligentiam ad indagandam veritatem. cap. 17. num. 132. & qui præbet consilium, antequam dubietatem animi deponat. cap. 23. nu. 21. Et debet credere, opinionem, quam eligit, esse veram, vel saltem id opinari. cap. 27. num. 284. in Nou. num. 288.

Censura extendens se ad consulentem, non comprehendit consulentes consilio adeo simplici, quod sine illo delictum tam certo & iniquo animo fuisset commissum cum illo. cap. 27. num. 51. post medium.

Consulens dicitur qui monet, persuadet, imo etiam qui instruit, & proponit utilitatem inde sequuturam. cap. 27. num. 52.

Dicere alicui ex peculiari causa convenientiorem vitam esse conjugalem, quam cœlibatus, licitum est. cap. 20. num. 3.

Differentiam inter consulentem & mandantem, quantum ad imputationem irregularitatis, ex homicidio sequuto, vide tit. irregularitas. §. lit. L.

CONSUETVDO.

Consuetudo est optima humanarum legum interpret. cap. 23. num. 58. Potest dare iurisdictionem. cap. 21. num. 21. Non tamen potest derogare iuri naturali, vel diuino. cap. 25. num. 128.

Con

CONSVETVDO. 157.

Consuetudo immemorialis facit aliquem titulum præsumi requisitum ad eius valorem. c. 17. nu. 257.

Consuetudo licet non excuset à culpa; excusat tamē à pœna saltem ordinaria: nam ab extraordinaria, fortè non excusat. cap. 27. num. 86. & 106.

Consuetudo induci potest etiam circa Sacramentalia. cap. 22. num. 83. vide plura in tit. Sacramentalia.

Consuetudo quæ est contra ius, non est amplificanda. cap. 21. num. 14.

Consuetudo etiam habet maximam vim circa obseruationem festorum, & ieiuniorum, quædam tollendo, aut addendo, vel moderando. cap. 13. num. 5. & cap. 21. nu. 14. Imò & circa leges humanas quas consuetudo contraria potest abrogare. c. 23. num. 40.

Potest etiam facere, vt quæ lex obligabat ad mortale, postea non obliget, nisi ad veniale. cap. 25. num. 111. §. vide etiam in tit. lex 1.

Non potest tolli ab Episcopo consuetudo vniuersalis, quæ vim habet iuris communis. cap. 21. nu. 5. §. 3. Imò excommunicatio quam contra eam ferret, nulla esset. Qualis est consuetudo in toto orbe recepta, vt fideles in quibuslibet monasteriis audiant nullam die festo. ibidem.

Quic

Quicquid potest induci lege humana,
potest etiam consuetudine. *ibidem.*

Consuetudine longa circa lacticianorum
esum intelligitur quadraginta annorum.
cap. 21. num. 15.

C O N T E M P T V S.

VERVS contemptus de consiliis etiam
est mortale. Præl. 9. num. 15. cap. 20. n.
2. Nouo. Præl. 9. num. 17. cap. 20. num. 20.

Contemptus legis est *quando aliquis non
implet illam principaliter, quod illam vel eius
auctorem parui facit.* cap. 20. n. 2. c. 23. n. 42.

Consuetudo peccandi non sufficit in fo-
ro interiori ad contemptum: sufficit tamen
vt præsumatur in exteriori. cap. 23. num. 42.

Peccat mort. qui contemnit proximos
contemptu per quem notabile damnum ho-
noris, aut bonorum illis infertur. cap. 25.
num. 58. §. 7.

De illo autem qui id quod obligat sub
veniali, omittit eo solum quia iubetur. vide
in tit. Obedientia.

C O N T R A C T V S.

ACTVS per metum regulariter valet.
cap. 22. n. 50. Non tamen Matrimonium
mequ

metu iusto contractum, non est nullum. Præl. 6. n. 6. cap. 22. nu. 50. Nouo. Præl. 6. n. 5.

Contractus per metum factus regulariter, rescindi potest. Præl. 6. nu. 6. Nou. num. 5. Vel est ipso iure rescissus. cap. 19. num. 13. Nouo cap. 20. num. 13.

Contractus quantumuis licitus, dolo tamen aut fraude, aut metu factus, vel est irritus, vel irritandus. Ibidem.

Factus cum pupillo, vel Ecclesia, valet in præiudicium alterius, non tamen in præiudicium pupilli, vel Ecclesiæ. cap. 19. num. 12.

Contractus nonnulli sunt, per quos dominium rei de vno ad alium transfertur, & per quosdam non transfertur. Per quos transfertur, sunt Emptio, Venditio, Permutatio, Donatio, & Mutuum. Per quos non transfertur, sunt Deposita, per quod sola rei custodia alteri committitur, fitque regulariter in fauorem deponentis. Item Commodatum, per quod cõceditur vsus rei, quæ vsu non consumitur, fitque regulariter in fauorem accipientis: Item locatio, & conductio, per quas vsus rei, quæ vsu non consumitur, pretio conceditur. Denique contractus pignoris, per quem debitor creditori aliquid in cautione pignorat. cap. 17. n. 180.

Faciens contractum, in quo grauat alium, animo tamen non petendi, nec accipiendi

id

id, in quo grauat, peccat, quia potest mutare intentionem, vel mori sine illius declaratione, & tunc ipse, vel haeredes vexabunt grauatum. cap. 17. num. 260. Possset tamen occurri huic periculo, tradendo ipsi grauato schedulam subscriptam. cap. 23. num. 84.

CONTESTATIO LITIS vide Litigiū.

CONTRITIO.

A **C**ONTRITIO est poenitudo voluntaria cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccati actualis, quatenus est offensa Dei super omnia dilecti, cum spe veniae, & proposito non peccandi, & satisfaciendi. cap. 1. num. 1.

Ad contritionem non sufficit dolor non deliberatus. num. 4. Nouo num. 3. Neque requiritur dolor summè intensus. num. 7. Nouo num. 4.

B Neque requiritur dolor intensior, quam alius dolor de malo temporali. Vnde fieri potest, quòd verè contritus maiorem dolorem sensus habeat de morte Patris, quam de offensa Dei. num. 23. in Nouo num. 20.

Non requiritur dolor sensus, & alia signa exteriora, quamuis hæc conuenientia sunt. cap. 1. num. 23. in Nouo num. 20. Requiritur autem dolor maximus appetitiuè. num. 9. Nouo num. 4.

Ad veram contritionem per se loquendo
requiritur formale propositum ulterius non
peccandi; per accidens verò sufficit virtua-
le. num. 10. 12. 43. in Nouo num. 5. 9. 40. 41.
Sufficit etiam propositum virtuale satisfac-
ciendi, quando propter defectum temporis
vel inconsiderationem inculpabilem pœ-
nitens non habuit formalem. num. 15. No-
uo num. 11.

Non requiritur quòd pœnitens credat se
amplius non peccatum. cap. 1. num. 13. &
cap. 3. num. 5. in Nouo cap. 1. num. 9. cap.
3. num. 15.

Contritio debet esse de peccato, quate-
nus est offensa Dei. Et debet esse propter
Deum summè dilectum. num. 11. No. n. 7.

Contritio autem non est dolor essentialis
sed causalis. num. 2. & 16. No. num. 2. & 14.

Contritus debet plus timere peccatum, F
quàm quodlibet aliud malum generaliter,
non tamen requiritur, nec expedit specifi-
care mala in particulari. cap. 1. num. 21. in
No. num. 17.

Sufficit pœnitentem dolere, quòd non
habeat exactam contritionem. num. 21. &
cap. 10. num. 4. in Nouo num. 18. cap. 10. n. 4.

Contritionis signum est, se malle mortuū
esse, quàm peccasse. cap. 1. num. 22. No. num.
19. Habens verò signa contritionis præsu-
mitur

L sumitur

fumitur mori contritus. num. 18. No. n. 15.

Contritio minor sufficit ad delendum veniale quàm mortale. n. 26. No. n. 23.

Contritionis effectus est delere culpam, & pœnam æternam, & aliquam temporalem, imò aliquando delet totam. num. 43. Nouo num. 40.

Delet mortale etiam ante confessionem, sed non sine voto Sacramenti confessionis, quod in illa includitur. num. 27. No. nu. 24.

Non datur vera contritio, per quam non deletur mortale. num. 29. Nouo 26. Contritio in lege naturæ debebat mortalia. num. 28. Nouo num. 25.

Contritio de peccato, de quo dubitatur, vtrum sit mortale, debet esse tamquam de mortali. num. 26. Nouo num. 24. Eius præceptum non obligat pro semper post mortale. num. 31. Nouo num. 27. Bonum tantum consilium est, vt statim post peccatum mortale coneratur. num. 33. Nouo num. 29.

H Imminenti graui necessitate, cui absque orationis feruore prouideri non possit, necessario est habenda contritio. num. 31. No. num. 17. Contritio haberi potest in instanti. num. 35. Nouo num. 31.

Non est necessario habenda de mortali iam dimisso. num. 32. Nouo num. 28.

I Haberi potest contritio de peccato cuius

ius homo non meminit, neque in speciali neque in generali. num. 34. Nouo. 34.

Non requiruntur singulae contritiones de singulis mortalibus, sed sufficit vna, quae virtualiter feratur in omnia peccata, siue ante discussionem conscientiae siue postea. cap. 1. num. 25. & Nouo num. 22. Non tamē requiritur necessariò maior contritio de maiori peccato. num. 35. & in Nouo. nu. 38.

Circa contritionem definiuit Concil. **L** Trid. sess. 14. cap. 3. & 4. haec sequentia. I. *Penitentiam esse, & fuisse quouis tempore necessariam, ad impetrandam veniam culpa mortalis.* II. *Contritionem, esse vnam ex tribus partibus, quas sibi tamquam materiam substituit penitentia Sacramentum.* III. *Necessarium esse & optimum, examinare conscientiam, ad faciendum peccatorum memoriam cum ipsorum detestatione, & emendationis proposito, quamuis ad gradum integra contritionis nō perueniat.* IIII. *Esse de fide, contritionem non solum includere in se cessationem à peccato, & vitam nouam propositum & inchoationem, sed veteris stiam odium continere, & propositum illud cōfitendi tempore debito, cum spe obtinendi veniam, & misericordiam.* V. *Contritionem iustam esse necessariam nunc in lege gratia ad culpa mortalis, post baptismum admissa, deletionem.* cap. 1. num. 43. Nouo num. 41.

L 2 Pec

M Peccat igitur, & est hæreticus, qui aliquid contra prædicta pertinaciter credit: estque excommunicatus per bullam Cœnæ, si id verbo vel scripto proferat. cap. 1. num. 43. Nouo num. 41. quæ autem contritio sufficiat ad remissionem peccati cum Sacramento penitentiæ vel baptismi. vide tit. attritio

C O N T Y M E L I A . vide Iniuria.

C O O P E R A T I O .

NON cœperantur peccato, famuli ministrantes mensæ concubinariorum, neque iuuantes concubinam ad se ornandum, neque qui vestes & alia ornamenta vendunt meretricibus: modò id absque malo fine, aut sine consensu in eorum peccatū, faciunt. Cooperantur tamen peccato ij, qui lufos suscipiunt, eisque ministrant mensam, candelas, domum, & alia huiusmodi. cap. 19. num. 16. Nouo cap. 20. num. 16.

Denique ille dicitur cooperari peccato alterius, qui ei consentit, aut in eum malum finem illum iuuat, inuitat, inducit, vel ita assistit ei, vt sit causa vt ille peccet. Ibidem. vide & in tit. participatio.

C O R P O R A L I A . vide Benedictio, & tit. Missa. III. D.

CORPORE VITIATUS.

PECCAT mort. qui corpore vitiatus ordinatur. cap. 25. num. 72.

Non est inhabilis ad ordines claudus, cui scipio in altari non est necessarius, nec habens maculam oculi, quæ non priuat visu, nec inducit notabilem deformitatem. cap. 27. num. 199.

Neque etiam est inhabilis gibbus, non nimium magnus, si non sit notabilis deformitas. Quæ autem sit hæc notabilis deformitas, ad Episcopum pertinet determinare. cap. 27. num. 199. & nu. 200. vide etiam tit. Irregularitas. III.

CORREPTIO.

CORREPTIO est monitio proximi secreta, ^A
vel coram testibus, ut se emēdet à peccato.
cap. 24. num. 12.

Præceptum correptionis est naturale, obligans omnes etiam infideles: & Evangelicū. num. 12. obligans etiam peccatores. ibid.

Obligat autem concurrentibus quatuor. ^B
Primū, quod sit certum, proximum peccate mortaliter. III. Quod speretur emendatio,
L 3 tio,

tio, vel saltem non timeatur deterioratio.
 III. Opportunitas personæ ac temporis.
 IIII. Vt commodè fieri possit absque da-
 mno-notabili corrigen-*tis*. Ibidem.

C Laudabile est aliquando differre cor-
 reptionem; donec in maius peccatum in-
 cidat, vt tunc commodius corrigatur &
 emendetur ab vtroque: quoniam hoc non
 est aliud quàm expectare temporis oppor-
 tunitatem. n. 13. & c. 14. n. 26. No. n. 27.

D Non peccat mort. qui non corrigit eum
 qui ex ignorantia probabili nõ ieiunat. Ne-
 que qui transiens per terras hæreticorum,
 non corrigit eos tractantes irreuerenter Sa-
 cramenta vel imagines, si non sit Spes emen-
 dæ. num. 12.

Confessarius extra confessionem mini-
 mè debet, neque publicè, neque secretè cor-
 ripere pœnitentem de peccatis confessis, nisi
 pœnitens significaret id esse sibi gratum, in-
 ducendo colloquia, vel cõsulendo super eis.
 num. 13.

Correptio de venialibus non obligat sub
 mortali. cap. 14. num. 13.

E Ordo correptionis seruandus est, nisi sit
 periculum in mora, & non sit homo certus
 suam correptionem profuturã. Si enim du-
 bitat, debet statim iudici denuntiare. Atta-
 men circa coniurationes & hæreses, non est
 seruandus

seruandus ordo correptionis, sed statim debet fieri denunciatio ante iudicem. num. 14.

Ordo autē correptionis Euangelicus est, vt primū secretò, & fraternè peccans corrigatur; deinde, si se ob id non emendaerit, corā duobus testibus: Et postea iudici denunciatur, vt habetur, Matth. 18. Ibidem. F

Non requiritur secreta monitio quando peccatum est publicum. Est autem publicum quo ad hoc, id quod est notorium iure, vel euidencia facti, vel fama. Ibidem.

Quiuis blasphemus statim corripiendus est ab audiente, etiam si nulla speretur emendatio, si potest id facere absque proprio periculo. cap. 12. num. 83.

Potest quis reuelare patri crimen fratris, adhibita prius correptione, vel ea omissa, si nulla sit spes emendē per suam correptionē. c. 7. n. 8. & expressiūs. c. 18. n. 33.

Peccat mort. qui potēs impedire ne alius peccet mort. non impedit. Quod tamen solum procedit in eo, qui sine verecundia, in cōmodo & dedecore, id poterat impedire. c. 14. n. 26. No. n. 27. vide etiam in tit. Impedimentum.

Non peccat qui permittit alium committere grauius peccatum, vt ob illud castigatus, facilius se corrigat. Ibidem. Quod quidem verum est non solum permittendo oc-

168 CULPA. CVRIOSITAS.
caſionem, verum etiam offerendo. cap. 14.
num. 31. lit. E. Sed in No. num. 39.

C V L P A.

A **C**ULPA est voluntaria inordinatio actus
vel deuiatio à bono. cap. 17. num. 177.

Est autem triplex: Culpa lata, quam regulariter omnes communiter vitant. Culpa leuis, quam regulariter homines diligentes suæ professionis vitant. Leuissima, quam homines diligentissimi vitare solent. n. 178.

B Quando contractus fit solum in vtilitatem alterius contrahentium, ille regulariter tenetur de dolo & culpa lata, leui, & leuissima. Alter verò tantum de dolo, & si fiat in vtilitatem vtriusque, vterque tenetur de dolo, & de culpa lata, & leui, non de leuissima, nec de casu fortuito. n. 179.

C Culpa lata, quæ multoties obligat depositarium & commodatarium ad restitutionem, non necessario debet esse mortalis. num. 184.

C V R I O S I T A S.

ES T vitium mouens ad sciendum nimis vel immoderate. cap. 23. num. 34.

Peccat mort. qui adinuenit nouas epulas,
noua

noua exercitia, & ludos de se mortales, itē nouas vestes, aut alia de se mortalia, vel in finem mortalem. cap. 23. num. 17.

Curiositas de se tantum est veniale. Mortale verò quando iungitur aliqua circūstantia mortalis. Vt de virgine volente curiosè scire, quanta sit carnalis copulæ delectatio. Item de volente scire alienum peccatū, confessionem Sacramentalem alteri factam auscultando. Item de inquirente alterius vitia animo cum notabiliter infamandi: & de appetente scire aliqua secreta, ab eo qui sine peccato mortali non potest ea reuelare. num. 26. Nouo num. 25.

CVSTOS.

Custos piscationis seu venationis quomodo se gerere debeat. vide tit. Venatio. **A**

Custos agri, aut venationis, qui se abscondit ne ab ingredientibus videatur, vt sic eos capiat, & corripit faciat, non peccat, saltem quando id permittit, vt semel deprehensi iterum ingredi caueant, nec interim sinit, vt illi damnum notabile inferant. c. 17. nu. 123. hoc intelligitur quando ex officio tenetur. Secus verò non: & si tunc ex malitia faceret, peccaret. nam sublata malitia nec peccaret nec teneretur restituere. num. 136.

Vnde talis custos, etiam ciuitatis, qui dā-

L 5 num

num notabile quod fieri videbat, non impediit, saltem vociferatione, tenetur restituere in solidum. num. 136.

Custos vrbs, qui iurans se accusaturum, quos post sonitum campanæ inuenerit, si nō accusat, peccat mortaliter. Non tamen tenetur restituere pœnas, quas accusati incurrisent, nec quod recipit ne accuset. c. 25. n. 34.

Si custos videt damnum facientem, & nō indicat ei qui damnum accipit, peccat mortaliter, & tenetur restituere. Ibidem.

C Custos & præfectus in portandis mercibus, & in exportandis eis in confinibus regnorum, peccant mortaliter, permittentes importari & exportari vetitas. Non tamen tenentur restituere pœnas, quas transgressores soluisent, si denunciarentur: nec merces, quibus priuarentur. num. 51. Bene tamen vectigalia quoniam hoc non est pœna sed interesse. num. 34. ad quod facit id, quod de teste falso dicitur. num. 51.

D A M N A T V S.

DA M N A T V M iniuste, qui cum possit nō liberat, peccat mortaliter. cap. 15. num. 15. in No. num. 17. de Iure naturæ est, quod nullus damnetur inauditus & indefensus. ca. 25. num. 9.

D A M